DISCURSUS JURIS PUBLICI SECUNDUS

De

IMPERATORE ROMANO-GERMANICO.

Quem

D. T. O. M. A.

Consentiente Amplissimâ JCtorum in incluta Salana Facultate

PRÆSIDE

CHRISTOPHORO BEINDORFFIO, WANTZLEBIENSI Magdeburgico.

Dominis suis Collegis examinandum proponit

CHRISTOPHORUS SCHAPERUS Brunopolitâ-Saxo.

Ad diem 22. Julii, horis locoq; consuetis.

JENÆ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.

ANNO M.DC. XIX.

Thesis prima.

DE Romani Imperii ortu, incremento & ad Germanos translatione hactenus egimus; restat jam ut ad Imperatoris Romano-Germanici considerationem nos accingamus, qui Romani imperii caput *Aur. Bull. tit. 2.* Quantò igitur caput reliquis corporis membris antecellit, tantò etiam plus Majestatis, potestatis & dignitatis Imperator habet quàm Electores & cæteri Imperii status. Et sicut Sol claritate superat reliquas stellas: sic dignitates omnes longè supereminet, *cum multa. 7. C. de bon. quæ lib. in fin. Arnis. de jur. Majest: lib. 1. c. 2. n. 9.* imò est omnium dignitatum culmen, fundamentum & principium *Matth. Stephan. de jurisd. lib. 2. part. cap. 1. num. 2.*

2. Cum verò turpe sit differenti prius determinare rem ipsam quàm terminos explicare; Ideò à summi Imperatoris nomine auspicabimur, ne in æquivoco procedamus, præsertim cum nomina rerum sint notæ, *l. Labeo. 7. §. 2. ff. de supell. leg.* & ad earum cognitionem nos non raró manuducant, *Scalig. exerc. 1. sect. 1.*

3. Imperatoris ergò vocem à summa imperandi potestate dictam quod attinet, eam Romani olim Consulibus, Proconsulibus, Prætoribus, Dictatoribus tribuerunt, qui, cum aliquot millibus externorum hostium prostratis triumphassent, hoc nomine primum à Senatu, deinde ab exercitu honoris causa salutabantur, *Onuphrius Panv. de Comit. Imperat. c. 3. in fin. apud Goldast. in polit. Imperial. tom. 1. p. 1. ... in templ. omn. jud. lib. 1. c. 1. in verb. Imperatores qui*

fuerint. Matth. Stephan. lib. 2. de jurisd. p. 1. c. 1. n. 31. Hinc belli Duces & copiarum militarium Præfecti Imperatores dicti, *§. servi jun. gl. I. de jur. pers. Vide Paurmeist. lib. 2. de jurisd. Imp. Rom. c. 4. n. 1.* Tandem hoc Imperatoris nomen ad significandam sacrosanctam Romani Principis dignitatem translatum est, ut passim in *Instit. Mynsinger. super proœ. Instit. lit. A.*

4. Hodiè verò Imperatorem fieri dicimus, qui Electorum suffragiis atque consensu ad Christiani populi Monarchiam evehitur *Myns. d. l.* qui summam in omnes Romano imperio subjectos potestatem exercet, nec superiorem in temporalibus recognoscit.

5. Quo sensu etiam Cæsar Keyser vocatur, quod nomen à Julio Cæsare ad alios ipsius Successores pervenit, ita ut Imperatores Cæsares vocarentur; quemadmodum Ægyptii Reges prisci Pharaones & posteriores à Ptolomæo Ptolomæi, Reges Ponti Mithridatæ, Reges Palæstinæ Abimelechi, Reges Parthorum ab Arsace Arsacidæ dicebantur, *Clut. in syll. rer. quot. th. 23. lit. B.* De notatione autem hujus vobabuli variant Dd. Alii volunt Julium Cæsarem de matris utero cæsum, & sic Cæsarem dictum fuisse, *Petrus de Andlo lib. 1. de Imp. Rom. c. 7.* quod *Plinius lib. 7. natur. histor.* Scipioni Africano etiam attribuit. Alii à Cæsarie Cæsaris nomen deducere volunt, quod primus hoc nomine insignitus, quisquis etiam fuerit, cum Cæsarie, vel, ut alii voluut, cæsiis oculis natus sit. Alii secundum *Servium & Spartianum* à cæso Elephante, quod linguâ punicâ Cæsaris verbo Elephas significetur, ortum volunt. *Paurm. lib. 2. de jurisd. Rom. Imp. c. 4. n. 1.*

6. Quamvis autem antiquitus in Imperio Romano Cæsares ab Imperatoribus & Augustis distinguerentur, ita ut Cæsares designati Imperatorum Successores essent & secundariæ potestatis ab Imperatore in Romano Imperio. *Cluten. d. l.* ut apud nos Reges Romanorum, Gallos Delphini, Hispanos infantes, Quo sensu vox Cæsaris accipitur in *l. 6. §. fin. ff. de jur. fisc. l. 7. ibi: in Comitatu meo & Cæsaris C. de malef. & mathem.* Imperatores verò qui reipsâ imperarent:

Non

Non tamen hodiè illud diſcrimen attenditur, ſed qui Imperator eſt, Cæſaris titulo quoque gaudet. Qua in ſignificatione ſumitur in *tot. t. ff. de off. procur. Caſ.*

7. Auguſti item nomine Imperator inſignitur, quod Octaviano primùm impoſitum eſt, *Helv. in ſua Chron. p. 22. Petrus de Andlo lib. 1. de Imp. Rom. c. 7. Paurmeiſt. 2. de jurisd. c. 4. n. 1.* propterea quod magno ſucceſſu & ingenti felicitate in rebus gerendis uſus fuerit, *Schneid. ad rub. Inſt. num. 7.* & Rempubl. ſemper auxerit, ſiquidem Romanum Imperium ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani circulum cunctas gentes unâ pace compoſitas ſuâ ditione tenebat, *Pet. de Andlo d. l.*

8. De Auguſti autem notatione non eadem Dd. mens eſt. Accurſius *ſuper proœ. Inſtit.* Auguſtum ab augendo dictum eſſe putat, quod Imperatoris ſit Imperii fines ſemper augere & non inſtar vitrici, ut alienatores imperii *à Warem. ab Erenberg* dicuntur, minuere *Petr. de Andlo lib. 1. de Imp. Rom. c. 7.* Quam notationem Germanica communi & recepto imperii ſtylo per tot ætatum decurſus approbata formula, Zu allen Zeiten Mehrer des Reichs/ confirmat. Qua de cauſa ipſe Imperator in Coronatione promittit ſe imperium augere velle, *Sleid. lib. 1. fol. 17.* Mynſingerus verò *ſup. proœm. Inſtit. n. 26.* hanc ſententiam ut erroneam rejicit, & ob id Accurſium antiquitatis ignarum redarguit, docens ab augurio dici, quod ſacer, veneratione dignus, fortunatus & bonis auguriis conſecratus ſit. *Freher. in not. ad lib. 1. c. 7. de Rom. Imp Petri de Andlo.* Nos utramq; probamus Etymologiam cum *D. Forſt. diſp. 1. q. 6.*

9. In uſibus Feudorum Rex dicitur *1. Feud. 26. ibi*: Si v. ad Regem non venerit, *2. Feud. 54. ibi: Regem aut ſub Rege* Unde Regalia pro Imperatoriis juribus ponuntur, & in *l. 3. C. de quadr. præſcr.* Imperator culmen Imperiale Regale vocat *Ampl. Dn. D. Arum. Præcept. ac Fautor meus ſummoperè colendus, diſc. Acad. 16. th. 18. lit.* C. *Cluten. in ſyll. rer quotid. theſ. 23. lit. A. Matth. Stephan. 2. de jurisd. part. 1. cap. 2. n. 2.* Quod nomen olim apud Romanos inviſum, nec poſt Tarquinium ab ullo uſurpatum fuit. Qua de re C. Julius Cæſar

plebi Regem se salutanti, Cæsarem se non Regem esse, respondit *Freher. d. l. Lancell. in templ. omn. jud. lib. 1. c. 1. §. 1. verb. Imperatores qui fuerint.* Communiter tamen Rex ab Imperatore distinguitur, cum eo sit inferior & proximum ab Imperatore sibi vendicet locum, *Lancell. in templ. omn. jud. lib. 1. c. 2. in pr.* Superiorem a. cum non recognoscat, parum abest, quin omnia quę ad potentiam Imperatoris pertinent, eadem ad Regem extendantur, *Lancell. d. lib. c. 2. §. 3. verb. de magnitudine Regum in princ.* imò & ea exercere possint, quæ specialiter Imperatori sunt reservata. *Lancell. d. l. n. 4.*

10. Deniq, Principis nomen absolutè consideratum de Imperatore accipi testatur *JCtus in l. 1. ff. de const. Princ. l. Princeps. 31. ff. de leg. & alibi.* Quamvis pervulgato more loquendi aliis etiam præter Imper. tribuatur & quidem cum aliqua additione; Principes Imperii, Principes Regni, qui habent Ducatum vel Principatum ab Imperio vel Regno, vocentur *Cluten. syll. rer. quotid. thes. 9. lit. A. Ott. in differt. jur. publ. c. 7. p. 157.* quod tamen impropriè fit, quia unusquisque Princeps imperii in suo territorio respectu suorum subditorum eandem vel parem, quam Imperator in universo imperio, jurisdictionem & potestatem habere dicitur. Propriè autem solus Imperator dicitur Princeps primum locum in imperio obtinens sive primas partes capiens. *Matth. Stephan. de jurisd. lib. 2. part. 1. c. 1. n. 39. & seqq.* Aliàs vocabulum illud Principis ad alia etiam trahitur, in *l. 10. ff. de serv. cor.* Paulus delicti Principem pro auctore dicit. Sic in *l. 1. ff. de off. præf. præt.* Princeps nominatur, in quem regimenta Reip. perpetua translata sunt.

11. Hactenus de nomine: Methodi itaq; ratio in definitionem, quæ rei essentiam & naturam explicat & ob oculos nobis ponit, inquirere nos monet. (Paurmeisterus *lib. 2. de jurisd. c. 4. n. 6.* Imperatorem ita definit: Imperator est, qui secundum Carolinam constitutionem legitimè electus est. *Aur. Bull. tit. 2. de elect. Reg. Rom.* Quæ si imperfecta aliis videri posset, hæc esto; Imperator est supremus Princeps,

qui

qui secundum constitutionem Carolinam legitimè electus Reipubl. Romano-Germanicæ præest.

12. Generis vicem in hac nostra definitione obtinet vocabulum Principis. Qua autem in significatione illud sumtum volumus ex thes. 10. patet. Differentia specifica consistit in legitima electione, quæ secundum Carolinam constitutionem in Aurea Bulla præscriptam præcisè fieri debet. Totum enim quicquid Imperator est & habet, ab electione dependet. *Ampliss. Dn. Arum. disc. ad Aur. Bull. 2. quæst. 21.* & satis ab aliis Principibus electione illâ legitimâ distinguitur, siquidem ante eam neminem Principum Imperatorem appellare possumus.

13. Hanc Constitutionem à Carolo IV. latam, secundum quam eligi debet Imperator (quàm ab appenso Imperatoris sigillo aureo Auream Bullam appellitare solemus *Arum. disc. ad Aur. Bull. 1. q. 4. Buxt. ad eandem concl. 1.*) utpote legem imperii fundamentalem *Heig. lib. 1. q. 5. n. 2.* quâ salus dignitasq; totius imperii continetur *Arum. disc. ad Aur. Bull. 1. q. 7.* nec Electores S. Romani Imperii, nec ipse Imperator mutare & abrogare potest, *Bald. in c. licet de vit. d. elect. referente Dn. Arum. d. l.* Imò & Imperator ipse inter cætera, quod A. B. mutare non velit, fide juratâ adpromittere cogitur, ut apparet ex capitulatione Caroli V. *apud Sleidan. lib. 1. p. 26. edit. Francof. Anno 1610. Arum. d. l. vid. Cluten in syllog. rer. quot. th. 23. lit. C.*

14. Visâ definitione pedem ad divisionem promovere necesse esset: Quoniam autem Imperatoris, utpote qui unus & solus, natura repugnat & divisionem nullam admittit, sicco, ut dicitur, pede, eam præterimus. Quemadmodum enim in uno corpore Physico una anima, quæ imperat, in mundo unus Deus, qui omnia moderatur: Sic unus est Imperator, qui imperium nostrum tanquam summus & primus regit ac dirigit, *Besold. lib. 1. c. 1. th. 38. Vid. Lancell. in templ. omn. jud. lib. 1. c. 1. §. 1. q. 1.*

15. Quanquam autem juris nostri tàm civilis quàm Canonici textibus probari posse videatur, antiquitus receptum fuisse, quod duo vel plures fuerint Imperatores, ut

l. fin.

l. fin. ff. de her. instit. l. Imperatores. 21. ff. de appellat. multisque aliis similibus, ubi Divorum fratrum fit mentio, quod de Marco Antonio & Antonio Vero, fratre suo, quem ad Imperii partem adscivit, intellectum vult *God. de elect. Imperat. apud Goldast. in polit. Imperial. tom. 1. pag. 233.* & *cap. nunc autem dist. 21.* Ex quo colligitur, duos simul fuisse Imperatores Diocletianum & Maximilianum. *c. Relativa Ecclesiæ dist. 63.* ubi Leo Papa Lothario & Ludovico Augustis simul scribit. Et *Baldus in l. non ambigitur ff. de legib.* Imperatori Coadjutorem posse dari asserit. Et *in Auth. ex testam. vers. decimum octavum capitulum C. de collat.* ubi dicit, non esse novum duos simul imperium administrare, *Goldast. cit. loc. pag. 230.*

16. Attamen hæc tanti momenti non sunt, ut unitatem Imperatoris seu Monarchiam, quàm *disc. 1. thes. ult.* adseruimus, destruere possint: Licet enim plures aliquando in Imperio simul fuerint, unus tamen summam potestatem habuit, & verè Imperator fuit, reliqui socii istius seu subordinati saltem fuerunt & honoris causa Imperatores dicti. Vel pro una reputati sunt persona, *gloss. in d. c. nunc autem.* Vel si aliquando plures Imperatores uno tempore simul fuerint, facto illud non juri adscribendum erit. *Jas. in l. licet. Imperator col. 1. de leg. 1. Vid. Lancell. d. l. n. 10. in fin.* Absolutè n. supremũ sive par sive superius recipere non posse, cum *Toloss. lib. 5. de Rep. c. 1. n. 2.* Et cum *Warem. ab Erenberg. c. 2. veriss. n. 52.* In uno imperio non posse esse Monarchas plures, ingenuè fatemur.

17. Hinc quæstio oritur: *An cum unus Imperator esse debeat, eodem vivente alius eligi posset?* Qua de ante annos aliquot in imperio lis fuit non levis. Etenim Electio Caroli IV. quod vivente adhuc Ludovico facta esset, non solùm nullitatis incusata, sed etiam per majorem Electorum partem cassata fuit. *Cuspin. in Carolo IV. p. 382. Peuc. lib. 5. Chron. in eodem Imp. & alii referente Buxtorfio ad A. B. conclus. 12. lit. A.* & Anno 1530. Elector Saxoniæ Johannes Ferdinandi electionem vivo fratre Carolo V. Coloniæ factam vehementissimè improbavit; præsertim cum votum captandæ

mor-

mortis per illam electionem induci videatur. Imò & in A. B. nihil de ea dispositum inveniamus, sed saltem cum de obitu Imperatoris innotuit ad electionem novi Imperatoris esse procedendum *tit. 1. §.* Wann es auch darzu kommen. sancitum legimus.

18. Verum hisce non obstantibus contraria sententia exemplis & præjudiciis suffulta & in observantiam deducta tandem vicit, quod exempla Wenceslai & Maximiliani Primi, qui vivente adhuc Carolo IV. & Friderico III. itemq; Ferdinandi, Maxim. II. Rudolp. II. qui viventib. & etiamnum imperantibus Imperatoribus imperii Successores seu Reges Romanorum sunt electi. Cum votum captandæ mortis ex pacto successorio non præsumatur, quoties is, de cuius successione agitur, consentit *l. fin. C. de pact.* Et licet in *d. §.* Aurea Bulla hunc casum non includat, non tamen prorsus eum excludit. Unius enim inclusio non statim est alterius eandem rationem habentis exclusio, præsertim cum *in d. t. 1. in pr.* lex loquatur indefinitè & generaliter, quæ locutio universali æquipollet.

19. Causam Imperatoris primam seu remotam Deo, qui ut omnium ordinum causa: sic & Imperatoris regimen ac potestatem ab æterno constituit & adhuc propagat, meritò adscribimus, quod tàm juris divini, quàm humani testimoniis abundè probari potest, *Rom. 13. v. 1. Sap. 6. vers. 4. Prov. 8. v. 15. Dan. 2. v. 21. & l. 1. in pr. C. de V. I. E. Novell. 28. c. 4. in fin. Nov. 73. §. 1. in pr.* Quod & ipsi Principes fatentur, dum diplomatibus suis hæc verba præponunt: Wir von Gottes Gnaden. Et Imperatores Græci sese θεοστεφεῖς à Deo coronatos & χριστοὺς κυρίου unctos Domini profiteri solebant. *Freher. in not. ad c. 2. lib. 1. Pet. de Andlo de Rom. Imper.*

20. Hinc sacra & sancta audit Majestas & Imperator salutatur sanctissimus, *l. Titia. 87. §. fin. ff. de leg. 2.* divinus, *l. 3. in fin. C. de quadrien. præscr. l. fin. C. de acquir. poss.* res ipsius etiam privatæ vocantur sacræ, *Sixtin. 1. de Regal. c. 1. n. 31. Johan. Camman. de jur. Majest. disp. 1. th. 13.* Non, ut *Bodinus lib. 1. de Rep. c. ult. n. 173. & lib. 2. c. 6. n. 225.* satis ineptè colligit, quod hâc ratione Deo, quod ipsius proprium, impiè

eripiatur, sed quod potius officii sui Imperator admoneatur, se Dei esse Ministrum ipsiusq; vicesq gerentem. *Nov. 105. c. 2. in fin.* divinæ Majestatis imaginem. *Treutler. volum. 1. disp. 1. thes. 6. lit.* A. à nemine superiore, nisi à solo Deo dependere.

21. Eodem modo excusari possunt, qui Principibus viris vultus divinos & æternales, divinum splendorem, perpetuitatem, æternitatem attribuerunt & rescripta Imperatorum divinas constitutiones & divina oracula nominârunt, qui aliàs *à Waremund. ab Erenberg. in proœm. libr. 1. medit. pro fœder. n. 32.* impii vocantur & à multis *d. l.* recensitis ob id ridentur, & notantur.

22. Priusquam causam Imperatoris propinquam ponamus, animus est attingere litem illam; An nimirum Imperium Romanum sive Imperator sit à Pontifice? Hanc antè quadringentos annos inter Fridericum I. Ænobarbum Imperatorem & Hadrianum IV. Pontificem vehementissimè agitatam communi Imperii Procerum consensu decisam esse, ex probatissimis autoribus testatur *Reink. in tract. de Reg. secul. & Eccles. lib. 1. class. 2. c. 3. n. 1.* Quæ decisio postea Ludovici IV. generali constitutione Coloniæ promulgata fuit, quâ pœna criminis læsæ Majestatis, privationis omnium dignitatum & privilegiorum Imperium à Papa esse asseverantibus fuit constituta, cujus legis verba refert *Alberi. de Rosat. ad l. benè à Zenone C. de quadrien. præscript. Reinking. d. l.*

23. Rejicimus ergò Canones, quibus Pontificii Papæ Principatum assertum eunt, & ab ipso imperii potestatem derivant: Sic enim in *c. venerabilem Decr. 1 de Elect. & elect. pot.* dicitur jus & potestatem eligendi Imperatorem ad Principes ab Apostolicâ sede pervenisse, & *gloss. in c. in apibus. 7. q. 1. ibi:* qui dicit Imperatorem jurisdictionem habere sine Papa, dicit nos Imperatore carere. *Vid. Lanc. in templ. omn. jud. lib. 1. cap. 1. §. 2. q. 2.* ubi Papæ in Imperatorem potestatem seu jus transferendi imperium multis probare conatur. Quæ si omnia hîc recensere & refutare velimus, nimis longum foret, nec opus esse judico, cum nullo fundamento, nisi

nisi partim proprio testimonio & Pontificum traditionibus, partim pravâ dictorum Scripturæ explicatione nituntur.

24. Imò proprio gladio Pontificios jugulare possumus, dum Pontifex ipse, *c. quo jure dist. 8.* asserit: jura humana per Imperatores Deum distribuere, & *c. cum ad verum. dist. 96.* expressius fatetur, se negotiis secularibus implicare, & jura Imperatoris usurpare non debere. Quin imò omnia Pontificis jura in manu Imperatoris sunt *caus. 23. q. 8. c. convenior.* Et ipse Imperatoris jurisdictioni sese submittit, *c. non si competenter. 2. q. 7.* Hinc etiam Pontifices & Episcopos ab Imperatorib. investiri & deponi posse exemplo Henrici IV. qui Pontificatum Benedicto X. abrogavit & Nicolaum substituit, satis demonstratur. *Thom. Mich. disp. de jurisd. th. 10. lit.* A.

25. Nec verò est consentaneum, quod per Pontificem maximum Leonem III. imperium à Græcis ad Francos (quos Gallos fuisse falsò ait *Bodin. 1. de Repub. c. 9. num. 145.* Diversi enim sunt Franci Orientales Francken/ à Francis Occidentalibus, Gallis Frantzosen/ *Vid. Kirchn. de Repub. disp. 3. cor. 1.*) translatum esse Pontificii asserere audent, quorum Hadrianus omnium Pontificum impudentissimus primus fuit in Epistola ad Fridericum Imperatorem Ænobarbum, *Cluten. in syllog. rer. quotid. thes. 4. lit. C.* quod etiam *Lancell. in templ. omn. jud. lib. 1. c. 1. §. 2. q. 1.* asserere audet. Verum à Carolo M. partim jure belli, partim Senatus populique Romani voluntate, electione & suffragio, partim denique Imperatorum Constantinopolitanorum consensu atq; approbatione ad Germanos pervenisse historicæ fidei congruum esse cum *Clut. d. l.* dicimus.

26. Falsissimum quoq; est, quod fastuosâ arrogantiâ ex *c. constant. dist. 96.* Constantinum Româ totamq; Italiâ cum omni Occidentalis Imperii Majestate, diademate aureo, coronâ triplici aliisq; indumentis Imperialibus, *Vid. Lancell. in templ. omn. jud. libr. 2. cap. 1. §. 1. verb. corona Pontificis triplex & lib. 1. c. 1. §. 2. q. 2. n. 10.* Sylvestro Papæ donâsse prætendunt, utpote quod probatissimi autores, qui de rebus gestis Constantini scripsêre, quorum multi à *Thom. Mich. disp.*

de jurisd. thes. 18. & Hæn. disp. polit. 3. thes. 8. recensentur, ne verbulo quidem attigerunt, quod tamen si factum fuisset, tanquam notabile specialiter notassent. Qua de plusquam fictitia donatione, & An si facta fuisset, valere posset? *præc. disc. th. 24. & seq.* pluribus actum est.

27. Falsis hisce remotis ad veram ejus causam accedimus. Duplicem autem modum legitimè & ordinariè ad Imperia & Regna perveniendi apud gentes receptum fuisse, successionem & electionem, deprehendimus. Quænam autem ex hisce duobus tutior & utilior sit, inter Politicos non convenit. Rationes in utramque partem plausibiles afferuntur, quæ apud Politicos videri possunt. Nos morem in qualibet Republ. hactenus observatum retinendum, nec facilè ab eo recedendum esse dicimus, cum omnis mutatio præsertim in modo gubernationis Reipubl. sit periculosa. Sic in Anglia, Scotia, Gallia, Hispania, aliisque regnis successio ut hactenus observata præcellit *Bodin. 6. de Republ. c. 5. n. 718.* Sic econtrà in imperio nostro Electio secundum morem huc usq; observatum præfertur. *Sleidanus 1. com. pag. 27. ejusd. edit.*

28. Antiquitus & quidem ab initio Imperium Romanum hæreditarium fuisse & Imperatores ad id successione pervenisse ex historiis constat. Augustus enim à Julio Cæsare testamento fuit institutus, hic rursus Tiberium, Tiberius Caligulam hæredem regni reliquit. *Onuph. Panv. de comit. Imper. c. 1. apud Goldast. in polit. Imper. tom. 1. pag. 3. Reink. lib. 1. de regim secul. & Eccles. class. 3. c. 2. n. 4.* Huc etiam facit *cap. deniq; 7. q. 1.* dum Imperium olim successorio edicto fuisse delatum probat.

29. Tandem cæso Caligulâ Electio initium habere cœpit & fiebat variis modis: Aut enim Imperator eligebatur à Senatu, aut à populo, aut militum suffragiis, aut ex Imperatorum voluntate. Quo de videri potest. *Goldast. d. l. Lanc. in templ. omn. jud. lib. 1. c. 1. §. 1. n. 14.*

30. Hodie a. Imperator à septem Electorib. seu majori eorum parte secundum A. B. præscriptum constituitur & eligitur. Quâ electione peractâ statim Imperator est nomi-

nandus & plenum administrandi jus, summamq; potestatem consequitur, & omnia quæ Imperator potest, facere ipsi est concessum, ut patet ex constitutione Ludovici Bavari, cujus verba extant apud *Matth. Stephan. 2. de jurisdict. part. 1. cap. 1. n. 124.*

31. Et quanquam de more antiquo & quidem ex constitutione Caroli Magni, ut vult *Boterus in Cosmograph. part. 1. lib. 1. in descriptione Germaniæ fol. 96. Lancell. in temp. omn. jud. l. 1. c. 1. verb. Coronatio Imperatoris. n. 14.* triplici coronâ insigniebatur, antequam Imperator dici posset. Aquisgrani ferream (quam tamen *Buxtorf. ad A.B. concl. 46.* auream esse probat) imponebat Archiepiscopus Coloniensis. Mediolani argenteam Archiepiscopus Mediolanensis. Romæ auream conferebat Pontifex Romanus, vel cui hoc singulari jure erat indultum, Episcopus Hostiensis Cardinalis, ut refert *Johan. Andr. Zarabell. & Joh. de Imola. in d. c. venerabilem.* Non tamen hanc coronationem ad Imperatoris constitutionem necessariam esse, utpote quæ nihil novi tribuit, sed quod tributum est, festive magis quàm de necessitate confirmat, sed solam electionem sufficere per *c. 2. A.B.* dicimus.

32. Rationes hujus nostræ assertionis duas ponimus. I. Quia hæc electio successit illi, quæ olim fiebat per populum Romanum, qua per legem Regiam omne jus omnisque potestas sine ulla alterius confirmatione electo competebat, *l. 1. ff. de constit. Princ.* Ejusdem itaq; naturæ & vigoris hanc esse, ex regula: Surrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum surrogatur cum *Eberh. à Middelb. in loco à vi surrog. n. 19.* dicimus. II. Absurdum & iniquum esse videtur; Imperatorem, qui per se summus & à nemine dependet, deterioris conditionis esse, quam in dignitate inferiori constituros, qui solâ Electione citra aliam confirmationem perfectum jus, perfectamq; in suis territoriis potestatem habent. *Arum. disc. ad A.B. 2. th. 21.*

33. Et licet Pontificii Pontificis coronationem ad Imperatoris constitutionem necessariam esse impudenter magis quàm verè statuere audeant & electionem jus quidem

Imperatori designato, sed inefficax, & sicuti gladium in vaginâ reconditum tribuere: at ut eum educere & perstringere possit è sola Pontificis autoritate & coronatione proficisci asserere non erubescant, ut *Balbus de coronat. c. 17. apud Goldast. pag. 57.* testatur. Eamq; sententiam non solùm sacrorùm Canonum autoritate probare, verùm etiam argumentis defendere conentur. Non tamen ejus sunt ponderis, ut iis assentiri queamus.

34. Non enim quicquam faciunt, quæ Innocentius *in c. venerabilem Decret. 1. de elect. & elect. pot.* & Clemens in *c. un. de jurejur.* tanquam acerrima tela in nos contorquent, siquidem domestica sunt testimonia, quorum fides improbatur *arg. § 9. Inst. de testam l. 1. §. 3. ff. de q.* Ac in propria causa nemo testis idoneus, *l. 10. C. de test.* Idq; multò magis, si testis potest prætendere honorem, commodum suum, vel etiam modicum interesse. *Reink. d. tract. lib. 1. class. 2. c. 3. n. 17.*

35. Deinde commentum suum ita argumentando defendere student: ut ex *Balbo d. l. & Petro de Andlo libr. 2. de Rom. Imper. c. 5.* videre est: Quicunq; non est ortus, ille non potest quicquam agere Atqui Imperator ante coronationem nondum est ortus, sed in ea oriri dicitur. E. ante coronationem nihil peragere potest, quod ad Imperatoris officium pertinet. Minor, probant ex *l. 7. C. de fer. ibi: vel ortus imperii.* Resp. ad Minoris probationem, eam non probare ad quod probandum inducitur. Non enim in *d. l.* dicitur in coronatione Imperatorem oriri. Minorem itaq; planè rejicimus & diem ortus imperii eum volumus non quo Imperator coronatur, sed quo Electorum suffragiis eligitur, ut ex hactenus dictis satis liquet.

36. Si verò ita argumentari vellent; Quicunque coronam imponit, imperium dat. Inepta esset argumentatio, & inde sequeretur, quod aliis quoque Regibus à regnorum Episcopis, qui coronam iis imponunt, regna dentur. Sic Christiano Tertio Regi Danorum Anno 1537. Johannes Bugenhagius Wittebergensis Ecclesiastes coronam imposuit, moderno &, viventi Christiano IV. Petrus Winstrup

Epi-

Episcopus Selandiæ, Sigismundo Polonorum Regi Archi-Episcopus Cresnensis, quos *Amplis. Dn. Praceptor Arum. disc. 3 & disc. ad A. B. 2. quæst. 20 ferè sub fin.* recenset, qui tamen Regibus suis regna minime contulerunt.

37. Denique tale proferunt argumentum: Cui aliqua particula deest, ille non est perfectus. Atqui ante coronationem, unctionem cæteraq; solennia Pontificis Imperatori pars aliqua deest. E. ante coronationem Imperator non est perfectus. Resp. ad Minor. quam eâdem facilitate, quâ illi eam astruunt, nos rejicimus. Confundit enim essentialia & accidentalia, quippe coronatio ad quidditatem seu essentiam Imperatoris nihil quicquam facit, sed saltem ad solennitatem extrinsecam olim fuit introducta, ut *Balb. d. l. pag. 259.* testatur & *Arnis. libr. 1. doctr. polit. cap 13 fol 291. in fin.* inquiens: Coronatio nihil aliud est, quam publica testatio, quæ Imperatorem non facit, sed factum publicè declarat.

38. Nec ponderis alicujus est, quod nobis objiciunt, exemplum Regum Israëliticorum, Saulis & Davidis, qui etjamsi fuissent electi, non tamen ante sacram inunctionem & coronationis solennitates administrationem regni suscepisse leguntur. *1. Reg. 9.* Quia illæ solennitates, quas in constitutionibus Regum Israëlitæ adhibere solebant, una cum ipsorum politia jam abolitæ & abrogatæ sunt, ideò nos obligare non possunt.

39. Insuper huic nostræ sententiæ: Quod scilicet electus in Imperatorem ipso jure electionis potestatem administrationis acquirat, ipsi quoque Pontificii veritate convicti assentiri coguntur. Hanc enim consuetudine legi divinæ & humanæ certæq; rationi consentaneâ Ludolphus de Bebenburg Canonista insignis, Episcopus Bebenburgensis, Hieronymus Balbus & ipse Episcopus Gurcensis receptám esse probant. Et *Innocentius in d. c. venerabilem.* scribit; Quod si Imperator non possit recipere coronam in loco debito, nihilominus autoritatem administrandi à Coloniensi Episcopo, ad quem spectat, consequitur, vel ex ipsa electione habet illam. Et *Hostiensis de V. S. c. super quibusdam:*

Quod

Quod vidit in Alemannia per Principes judicari & teneri, quod Rex Romanorum post electionem concordem habeat omnem potestatem, quam Imperator & quod unctio nihil addit. *Petrus de Andlo & Paurmeist. d. l.* ubi plurimos alios, qui calculum nobis suum adjiciunt, recensent.

40. Rectè ergò & piè quàm plurimi tàm prisci quàm recentiores Imperatores citra imperii sui diminutionem coronationis hunc ritum & solennitatem neglexerunt. Fridericus I. dictus Barbarossa Bernhardum & Rolandum Legatos, cum Hadriani Pontificis nomine imperium sibi offerre conarentur, repulit, ut *Cöler. disp. de jur. imper. Germ. sect. 6. ex Radevico lib. 3. cap. 10. de rebus gest. Imperat. Friderici* testatur. Imò & omnium ordinum consensu sanxit, ut Papa ab ejusmodi potestate deinceps abstineret. Idem fecere Henricus Auceps, Rudolphus Habspurgensis, Albertus, Maximilianus I. & II. Ferdinandus, Rudolphus II. & Matthias, qui etiamsi Romæ coronati non fuerint, nihilominus veri Imperatores fuerunt & à toto mundo pro talibus culti *Bodin. 2. de Republ. cap. 6. n. 225. Arumæus discurs. Academ. 3. Cöler. d. l.*

41. Materiam Imperatoris soles Germanos Imperii Romani Principes esse asserimus, reliquis omnibus nationibus exclusis, quia in illos imperium esse translatum, *c. venerabilem. decr. 1. de elect.* testatur, quod non solùm activè, ita ut Alemanniæ Principp. potestas Imperatorem eligendi concessa fuerit, ut in *d. c. ven.* D. Cardinal. Florent. sentit, sed etiã passivè quod Germaniæ Principes in Imperatorem assumi debeant. *Pet. de Andlo lib. 2. de Imp. Rom. c. 3. ibiq; Freb. in not. Lancell. in templ. omn. jud. libr. 1. cap. 1. § 2. q. 1. & 3. Arum. discurs. Acad. 6. per tot. Heig. part. 1. q. 5. Amplis. Dn. Fridericus Hordled. in discurs. ad Sleid. th. 1. Reink. d. tract. lib. 1. class. 3. c. 4.* Quod quamvis Aureâ Bullâ expressè non fuerit dispositum, speciali tamen lege ante eam Ottonem III. cavisse, ut soli Germani eligant, non aliũ quam à Germanis Parentibus natum multis autoribus probat *Buxtorff. ad A. Bull. concl 31. lit. D.*

42. Frustra itaque dissentit *Tolosan. 7. de Repub. cap. 15. n.*

15. n. 18. dum Gallorum Principes æquè eligibiles ad Imperium esse affirmat. Eo enim ipso satis superque refutatur, quod Elector Moguntinus in Electione Caroli V. Francisci Primi Regis Galliæ electionem, qui imperii dignitatem magnâ contentione ambiebat, suis Coelectoribus dissuaserit, dum inter cætera hæc adduxit verba: De Gallo arbitror nos impediri nostris legibus & jurejurando, quibus cautum, ne extero sed Germano Principi imperium commendemus. *Sleid. lib. 1. com. sub anno 1519. p. 19.*

43. Non solùm Germanum dicimus, qui in Germania natus, sed etiam eum, qui Patre vel avo paterno Germano, licet extra Germaniam, est natus *per l. 6. §. 1. ff. ad Municip. & de incol. l. filios. 3. C. de municip. & orig.* Cujus exemplum habemus in Friderico II. Imperatore, qui quamvis in Sicilia lucem aspexerit, tamen quoniam Henrico VI. Imperatore Germano natus est, ut Germanus ad Imperii culmen est evectus. *Peucer. lib. 5. Chron. in vit. Frid. II. Cuspin in eod. referente Dn. Arum. disc. ad Aur. B. 2. th. 4.* Sic Henningus Gœden à Georgio Spalatino consultus, quid de Carolo illo Rege Hispaniæ & Ferdinand. Duce Burgund. Fratrib. nepotib. Maximiliani I. ex filio Philippo sibi videretur, an essent Germani habendi? Quod sic, Respondit, cum avo paterno Germano sint nati. *Freber. in not. ad c. 3. lib. 2. de Rom. Imp. Petri de Andlo.*

44. Non autem electio ista ad certam Germanicæ nationis familiam debet esse astricta sed liberrima Electoribus relinqui. An autem hodiè ad solam domum Austriacam sit restricta meritò quis dubitare posset? Nos contradictionem implicare putamus affirmativam sententiam. Etenim nihili libertati electionis quam Electores habent liberrimam, magis contrarium est quàm hoc. Interim tamen illud benè notandum est, ne absque causa prægnante & necessaria Antecessoris familia derelinquatur propter honorem & benemerita majorum. Et hoc vidimus in domo Austriaca ultra CLX. annos observatum fuisse, nec illi propterea ullum jus est quæsitum, nam judicium Electorum, non verò familia constituit Imperatorem.

45. Hic itaq; Princeps Germanus ut idoneus sit maximè requiritur. Jurat enim Archiepiscopus Moguntinus se velle eligere Regē Romanor. qui ad hoc existat idoneus *A. Bull. tit. 2.* Et hæc idoneitas potissimùm in bonis animi consistere debet, quæ tamen si corporis & fortunæ bonis subnixa sit, Imperii Majestatem sartam tectamq; melius conservari posse existimamus.

46. Hactenus de constitutione Imperatoris diximus: nunc de ejus potestate, quæ formam constituit & legitimè secundùm Aur. Bull. tenorem electum & constitutum statim consequitur, pauca ex multis delibabimus. Consistit autem potissimùm in Majestate ejusq́ue juribus. Definitur verò Majestas quod sit summa, perpetua legibusq́; soluta potestas, quam, qui statui præest, obtinet in subjectos *Kirch. de Republ. disp. 2. th. 3.*

47. Ut ergò Majestas sit, ex potestate summa, perpetua legibusq́; soluta constituatur necesse est, quæ tàm firmo & adamantino cognationis vinculo conglutinantur, ita ut unâ harum potestatum deficiente Majestas salva nec esse nec manere possit. *Lans. discurs. de L. Regia th. 46.*

48. Summam illam dicimus, quod à nemine nisi à solo Deo dependeat, nec superiorem aut æqualem agnoscat; imò quod nulli præterquam Deo, qui eam proximè antecedit *Besold. 1. polit. 2. §. 3.* subjecta sit atque pareat aliis parere nescia. Quid enim majus? quid sanctius Imperiali est Majestate *l. 12. C. de leg. & constit. Princip.* à qua quicquid reliquarum potestatum in Republica existit, unicè velut à summo apice dependet. *Kirchner. disp. 2. de Republ. thes. 3. lit. D.*

49. Perpetua quoq; esse debet, quæ nullo termino & spatio terminatur, sed cum Imperio oritur cumq; eodē moritur. Quæ in Imperatore non quidem esse potest, eo tamen animo datur & accipitur, ut dum vivat, apud eum perpetuò sit & maneat. *Dieter. disput. de summ. imper. pot. conclus. 18. Vultej. Jurispr. Rom. 12. n. 24.* Illis itaq; quib. ad breve aliquod tēpus sūma illa potestas tribuitur, ut illo finito, eadē se iterū abdicent, propriè Majestas non competit, sed potius imperii

custodes ac curatores appellantur. *Camm. de jur. Majestat. disp. 1. th. 63.*

50. Legibus solutam deniq; eam esse volumus. Quomodo verò illud sit intelligendum, acerrima inter Politicos & JCtos est disputatio. Nos civilibus seu à Prædecessore, cum par in parem imperium habere non potest. *l. nam Magistratus. 4. ff. de recept. qui arbit.* seu à seipso, cum nemo sibi-ipsi possit imperare, satis eam solutam esse volumus.

51. Interim tamen illas non de necessitate sed voluntario obsequio observare honestas suadet. Quò respicit *l. ex imperfecto. 23. ff. de leg. 3.* Decet tantam Majestatem eas servare leges, quibus ipsa soluta esse videtur, *l. 4. C. de leg.* Digna vox est Majestate regnantis legibus alligatum se Principem profiteri, *§. fin. I. quib. mod. test. infirm.* Ubi Severus & Antonius rescripserunt: Licet legibus soluti simus, attamen legibus vivimus. *Cöler. de jur. imper. German. sect. 17.*

52. Divinas itaque leges primò excipimus, quibus eam teneri nemo sanæ mentis negabit, cum Principatu & Imperio Dei jus potentius ac superius, cui Princeps ut inferior meritò subjicitur. A Deo enim potestatem sibi commissam habet, Dei subditus est, Deum superiorem agnoscit. Non itaq; contra eum aliquid dispensare ipsiusq; leges infringere est concessum.

53. Secundò leges naturæ & gentium, quas naturalis ratio apud omnes peræquè servandas esse suadet, *l. 9. ff. de just. & jur.* quibus Princeps hominem se non negans meritò etiam ut homo subjectus dicitur. *Camman. de jurib. Maj. disp. 1. th. 41.* Unde Princeps conventiones seu pacta quæ cum subditis iniit, *arg. l. 1. ff. de const. pec. l. 1. ff. de pact. Vultej. 1. Jurispr. Rom. c. 12. n. 33.* & Prædecessoris sui, dummodò non repugnent naturæ vel consuetudini officii sui, servare tenetur, *Matth. Stephan. 2. de jurisd. part. 1. c. 1. membr. 1. n. 74. Clut. syllog. rer. quotid. th. 18. lit. F.* Hinc etiam jus alteri quæsitum auferre non potest, nisi publica urgens necessitas illud suadeat; notissimi enim juris est privatorum causam publicis commodis credere debere, *l. utilitas. 3. C. de Prim.*

Arum. disp.3 feud th. 11. Gail. 2. observ. 56. Kirch. de Rep. disp. 1. coroll. 9. lit. B

54. Deniq; excipimus leges fundamentales seu Imperii, quæ Capitulatio dicuntur, cujus 25. articulos recenset *Anton. Coler. de jur. Imper. German. sect. 33.* quas, cum ad earum observantiam imperii statibus sese devinxerit, imò eas juramenti religione confirmaverit, *War. ab Ereub. de fœd. l. 2. c. 1. n. 16. Stl. l 1. p. 26.* tenere nec revocare posse concluditur, siquidem illis fundamenta Reipubl. innituntur, perque eas Princeps imperio unitur, imò hisce sublatis status & salus Reipubl. subsistere non potest. *Bodin. n. 426. Vid. Buxtorf. ad Aur. Bull. concl. 7. Cöler. d. l. Bernh. Reinec. disp. de capitulat. Imperat.*

55. Non tamen hæ capitulationis pactiones summæ Imp. Majestati quicquam detrahunt, ut sinistrè Bodinus suspicatur, sed potius illam confirmant. Pertinent enim ad salutem imperii, ex qua Imperatoris auctoritas, salus & felicitas dependet. *Reink. d. tr. lib. 1. class. 3. c. 9. n. 4. & 5.* quas si violare vellet, ipsam Majestatem suam Imperator violaret. Deinde non tenetur Imperator illis civili ratione, ut lege civili, sed ut conventione & pacto cum subditis inito ad conservandam imperii dignitatem, *Cöler. de jur. Imper. Germ. sect. 32.* cum enim in contractum transeant, *Buxtorf. ad Aur. Bull. concl. 7. lit. G.* illis non quatenus Imperator, sed quatenus homo est, obligatur.

56. Multò minus per juramentum servandarum harum legum gratia interpositum Majestas coarctatur, ut opinatur *Arnis. de jur. Maj. l. 1. c. 6. n. 5.* Si enim eo ipso, quod juramento ad observantiam legum fundamentalium sese astringat, Majestas læderetur, vix ullus Regum esset, qui Majestatem suam salvam haberet, siquidem Rex Hispaniæ, Galliæ, Ungariæ, Angliæ, Daniæ, Poloniæ, Sueciæ, aliorumq; regnorū Reges in ipsorum Inauguratione juramento Regni legibus sese obstringunt. *Vid. Reink. d. l.*

57. Consistit autem quam hactenus vidimus, Majestatis potestas in summis Reipubl. conservandæ ac tuendæ muneribus ac juribus, *Kirchn. de Republ. disp. 2. th. 4. Camm.*

d. disp.

d. disp. thes. 79. quæ inde Majestatis jura vocantur, aliàs jura supremitatis vel superioritatis dicuntur. *Warem. ab Erenb. c. 2. verisim. n. 9.* jura imperii, sacra regni, sacra sacrorum, Germanicè die Kayserliche Hoheit vnd Reservaten. R. A. de Anno 1576. §. Dadurch denn.

58. Unde autem hæc Majestatis jura seu Regalia sint eruenda & quot sint, mirè Dd. variant. Quidam sacras paginas consulunt & locum *Deut. 17.* adducunt: ex quo eorum Catalogum desumere volunt, ubi tamen potestas politica extra casum scilicet necessitatis, ut vult *Warem. ab Erenberg. c. 8. verisim. n. 8.* potius restringitur & coarctatur, quàm libera relinquitur. Quidam locum *1. Sam. 8. v. 11.* adducunt, quem nonnulli de Tyrannicis non Majestaticis juribus, sed perperam, intelligi volunt, quos refert *Camman. d. t. disp. 2. thes. 15.* Licet enim jura Regis ibi enumerata dura videantur, non tamen sunt Tyrannica, nec loquitur Propheta de servitute contra legem divinam, sed quæ Regis officio optimè competit. Non autem plenum jurium Majestatis catalogum ibi contineri dicimus.

59. Nonnulli ex *c. un. Quæ sint Reg.* sufficientem Regalium enumerationem deducere tentant, quibus etiam calculum nostrum denegamus, siquidem plura alia in jure reperiuntur. *Heig. quæst. 15. num. 45. part. 1. Sixt. de Regal. in proœm. n. 17.* Nec minora saltem ibi recenseri, ut vult *Vultej. de Feud. c. 5. n. 7.* sed ex Majoribus etiam quædam ibi enumerari, utpote jus constituendi Magistratum, cudendi monetam, erigendi vectigalia, &c. cum *Sixtino l. de Regal. c. 2. 2. n. 47. Dn. Arum. disp. Feud. 4. th. 14. Camm. d. disp. thes. 50.* dicimus.

60. Communiter ab Interpretibus in Majora & Minora distinguuntur; Hæc utilitatis; Illa dignitatis imperii appellantur. Illa respiciunt personam Imperatoris, hæc fiscum. Illa demonstrant Imperatorem, hæc imperium ipsius *Vultej. d. l.*

61. Majora, in quibus suprema potestas, dignitas & præeminentia Principis maximè relucet, potissimùm hæc

 sunt;

ſunt, Jus leges univerſales condendi, creandi Reges, Principes, Comites, Barones, Nobiles, &c. creandi Comites Palatinos, Doctores, Licentiatos, Magiſtros, Baccalaureos, Tabelliones & Notarios, conſtituendi Magiſtratus, conſtituendi Academias illasq; privilegiis ornandi, bellum indicendi, legitimandi, veniam ætatis tribuendi, famæ reſtituendi, abſolvendi à juramento, concedendi jurisdictionem, erigendi vectigalia, cudendi monetam, extremæ provocationis. Et plura alia, quæ apud Scriptores videre licet.

62. Minora rem fiſci ſpectantia, quorum quàm plurima in *d.c. Quæ ſint Reg.* recenſētur, hæc communiter ſunt; viæ publicæ, poteſtas inſtituendi curſus publicos, flumina navigabilia, & ex quibus fiunt navigabilia, portus, ripatica, metallorum fodinæ, ſalínæ, jurisdictio foreſtica, reditus piſcationum, jus mulctandi & puniendi, theſauri inventio, bona committentium crimen læſæ Majeſtatis, bona quæ indignis auferuntur, bona contrahentium inceſtas nuptias, armandæ præſtationes angariarum & perangariarum, collatio extraordinaria. Et horum ſimilia.

63. Soli autem Imperatori propriè hæc jura competunt, *per text. in conſtit. Frideric. Imper. de pace conſtantiæ §. volumus, ibi: ea quæ ſpecialiter ad noſtram excellentiam ſpectant.* Unde *in Receſſ. Imper. d. l.* Kayſerliche Reſervaten / de Principis reſervatis, *Sixt. 1. de reg. c. 2. n. 4* vocātur. Et Majeſtati ita cohærent, ut avelli ab ipſo nullo modo poſſint, ita ut ubi Majeſtas ſit, hæc quoq; ſint neceſſe ſit. *Diet. de ſumm. Imp. pot. th. 85.* Imò ſi quis ſubditor. ea ſibi arrogare velit, crimen læſæ Majeſtatis incurrat, eò quod publicum violet ſtatum, *l. 3. ff. ad L. Jul. Majeſt. Beſold. 1. polit. c. 4. th. 55.*

64. Ad ſimilitudinem tamen & exemplum Imperatoris, alii etiam Reges neminem ſuperiorem recognoſcentes eadem jura obtinent. *Sixtin. 1. de Reg. c. 4. n. 15. Vultejus 1. de feud. cap. 5. n. 7.* Hi enim dicuntur Imperatori ſimiles & Maieſtate præditi, nec ſuperiorem habentes, *Beſol. 1. pol. c. 2. th. 25.* Proinde etiam jura Majeſtatis ipſis denegari nequeunt, ut ſ. *th. 9.* diximus.

65. Aliis

65. Aliis autem Principibus, Archiducibus, Ducibus, Comitibus &c. superiorem recognoscentibus, neque jura neq; nomina Majestatis attribui possunt: Et licet in suis territoriis eandem quam Imperator in toto Imperio potestatem habere dicantur, nullam tamen, cum imperio immediatè sint subjecti, Majestatem obtinere possunt. *Kirchn. de Rpub. disp. 2. th. 2. lit.* C. Impropriè tamen ex concessione, seu rectius eorum usum & exercitium sine Majestatis diminutione iis competere posse dicimus, *Kirch. d disp. th. 4. lit.* A. Quamvis quædam tàm quoad usum, quàm quoad proprietatem propria sibi reservavit, utpote leges universales condere, Regales dignitates conferre, creare Reges, Electores, Archiduces, Duces, Principes, cognoscere de feudis immediatè imperio subjectis, *Aur. Bull. c. 7.* quod nec vacante imperio Comiti Palatino & Duci Saxoniæ competit, *Aur. Bull. tit. 5. Dan. Ott. in dissert. jur. publ. c. 7. p. 145.*

66. Porrò Imperatoris potestas in universali ejus jurisdictione consistit, quæ nititur intentione fundatâ in toto Imperii territorio in eoq; personis & causis universis. *Paur. 2. de jurisd. c. 4. n. 20. Matth. Steph. 2. de jurisd. part. 1. memb. 2. n. 119.* Omnis siquidem jurisdictio ad Imperatorem pertinet & ab eo tanquam à fonte fluit, & eodem refluit tanquam ad mare, & penes eum tanquam scabellum pedum suorum residet. *Paurm. d. l.*

67. Verùm universalitas hujus Imperatoriæ jurisdictionis multùm restringitur. 1. Quoad Imperii territorium, multa enim loca tàm de facto quàm jure ab Imperio & Imperatoris jurisdictione sese abstraxisse notissimũ est. De quibus latè *Paurmeist. 2. d. c. n. 26. & seqq. Thom. Mich. disp. de jurisd. concl. 17. & seqq.* 2. Quoad personas, quarum quædam generaliter, ut Clerici, qui Episcopali jurisdictioni subsunt, à Cæsarea jurisdictione eximuntur, quædam quoad primum judicium seu primam instantiam, ut sunt omnes illi, qui Imperatori non directò seu immediatè, sed Principibus & reliquis inferioribus Ordinibus mediatè subjacent & parent, quod non solùm Ordinationi Cameræ *part. 2. tit. 1. in princ.* sed & juri communi, *l. hæres. §. 1. & ult. ff. de judic. l. 2. C. de jurisd.*

jurisd. est consentaneum, quod scilicet unusquisq; apud eum judicem, in cujus territorio domicilium habeat, debeat conveniri. 3. Quoad causas. Nam Ecclesiasticæ & spirituales, ac spiritualitati annexæ causæ generaliter eximuntur, Feudales quoad primum judicium seu instantiam, criminales quoad secundum excipiuntur. *Vid. Paurm. d. l.*

68. Deinde in totius orbis dominatu Imperatoria potestas conspicitur. Unde *in l. deprecatio. 9. ff. ad L. Rhod. de jact.* Dominus mundi *in princ. C. de Justin. Cod. fac.* omnibus gentibus dominans, & *in l. benè à Zenone 3. C. de quadr. præscr.* Omnia Imperatoris esse dicuntur. Unde etiam *Bartolus in l. hostes. 24. n. 7. ff. de capt. & postlim. revers.* eum, qui Imperatorem orbis Dominum esse negaret, hæreticum appellat.

69. Quod tamen simpliciter de universali orbis terrarum dominio non est intelligendum, ut vult *Bodin. 1. de Repub. c. 9. n. 129. in fin.* sed κατ' ἐξοχὴν de Romano imperio, potiori ejus parte, seu iis, qui Romano imperio subsunt, *arg. l. 17. ff. de stat. hom.* cum verba secundum subjectam materiam intelligi debeant. Romanum autem Imperium ibi est, ubi Imperator est.

70. Cujus rei multa habemus exempla, ubi scilicet totius denominatio potiorem partem possidenti attribuatur. Sic Cyrus *Esdr. 1. vers. 2* de se dicit: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus cœli. Sic Daniel *Dan. 2. v. 33.* ad Nebuchodonosorem Regem Assyriorum & Babyloniorum inquit; Tu Rex es omnium Regum & omnia in quibus habitant filii hominum & bestiæ agri, volucres quoq, cœli dedit tibi Deus & sub ditione tua universa. Sic *Luc. 2. v. 1.* dicitur; Ab Augusto exiisse decretum, ut censeretur totus orbis, cum tamen nec Cyrus nec Nebuchodonosor, nec Augustus totum orbem, sed illustrius & potentius ejus imperium tenuerunt.

71. Eodem modo & ipsi Germani Principes Ludovicus IV. & Fridericus his verbis de se testantur: Wir Ludewig vnd Friederich bekennen/ daß Wir vns miteinander verbunden haben ewiglich/ daß wir das Römische Reich / darzu Wir

beyde

beyde erwehlet vnd geweyhet seyn/mit allen seinen Würden/vnd was darzu gehöret/ vber alle die Welt miteinander gleich als eine Person besitzen wollen. Et paulò post: Vnd soll jederman fürbaß von einem andern Rechte nehmen / an allen Sachen in allen Landen/ vber alle die Welt. *Cöler. d. disp. sect. 14.*

72. Vi deniq; hujus potestatis jus indicendi Comitia & status Imperii convocandi, imò eos, quorum interest, ad Comitia cogendi solus habet, *Arum. discurs. Acad. 9. memb. 4. in pr. Arnis. de jur. Maj. lib. 2. c. 4. n. 16.* Quod à primis temporibus huc usque sartum tectumq; Cæsares sibi conservarunt, nec aliis Imperii statibus communicarunt. Electorum tamen approbatio & consensus ut accedat necesse est, secundum leges in electione Imperatori præscriptas, quod etjam sæpissimè in Receßibus Imperii exprimitur, uti *Ratispon. Anno 1576.* §. Haben wir eine gemeine Reichsversamlung nach vorgehabtem Raht vnnd Gutachten vnser vnnd des H. Reichs Churfürsten. *August. Anno 1582.* §. Haben auff Gutachten vnd Rath vnser vnd des heiligen Reichs Churfürsten eine gemeine Reichsversamlung ausschreiben lassen/ & alibi passim. *Vid. Arum. d. disc. memb. 1. th. 17.*

73. Finis quare Imperator eligitur & constituitur, est, ut imperio consulat, illudq; tàm belli, quàm pacis tempore, quantum fieri potest, benè beateq; administret. Summam etenim cujusq; Reipubl. tuitionem de stirpe duarum rerum, armorum scil. & legum venisse testatur. *Justin. in pr. Const. de just. Cod. confirm.* Ideò etiam Imperatoriam Majestatem non solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam. *pr. proœm Inst.*

74. Hinc subditorum salus, quæ suprema lex est, & beata civium vita, quæ moderatori proposita esse debet. *Cic. 5. de Repub.* quæritur & promovetur, siquidem salutem Reipubl. tueri nulli magis convenire, nec alium sufficere ei rei, quàm Cæsarem credit; *JCtus Paulus l. 3. in pr. ff. de off. præf. vigil.* consiliis laboribusq; pro toto terrarum orbe diu noctuq; laborare Imperatorium esse. *Justin. in l. benè à Zenone 3. C. de quadr. præsc.* affirmat.

75. Et tantùm de Imperatoris constitutione & potestate ac juribus Imperatori inde dependentibus: Breviter jam sequitur, quibus modis Imperator esse desinat & tali potestate privetur.

76. Contingit autem hoc primò Imperatoris morte naturali. *A. B. tit. 4. §.* Wann es auch darzu kommen / quo casu Imperii administratio ad Serenissimos Vicarios, Comitem Palatinum & Ducem Saxoniæ devolvitur, nec quicquam juris Pontifici conceditur, juxta ordinat: *Aur. Bull. tit. 5. Reinking. de regim. secul. & Eccl. lib. 1, cl. 2. c. 4.*

77. Secundò voluntariâ resignatione in manus Electorum facta, *arg. c. jampridem, & c. ex transmissa X. de renunc.* nimirum ob senectutem, morbum vel si aliam ob causam imperio præesse vel nolit, vel non possit. & talem abdicationem ab Imperatore fieri posse tradit *M. Steph. de jurisd. lib. 1. c. 15. n. 22. & lib. 2. c. 1. n. 145.* Exempla ejus tum antiqua tum nova habemus. Novum occurrit in Carolo V. quem Imperio renunciasse *Anno 1556. tradit Sleid. in fin. histor.*

78. Tertiò quando Imperator ob gravissimas causas removetur, uti tradit *Reink. de regim. sec. & Eccles. lib. 1. cl. 3. c. 2. n. 13.* Sed sitne hæc remotio ab Electoribus, an verò à Pontifice? Pro Pontifice Canonistæ pugnant & *Lancell. in templ. omn. judic. lib. 1. c. 1. §. 2. q. 6.* Inde olim octo Imperatores excommunicationis fulmine fuisse tactos docet *Arum. in jur. publ. discurs. 18. thes. 55.* Verùm nos uti jus eligendi, ita & removendi, sive deponendi potestatem Electorib. concedimus, quippe cum ejus sit deponere, cujus eligere, *l. 3. ff. de re judic.* & qui jus habet conferendi, ille etiam auferendi, *Dn. Hortled. in disc. ad Sleidan. th. 9. Arnis. lib. 1. de juribus Majest. c. 6.* Atque ita contigit Henrico Quarto, Ottoni IV. & pluribus aliis, ut passim historici referunt. Et tantùm hac vice de Imperatore..

DN: